



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. XI. De impedimento ex Ordine Sacra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

§. IX.

De impedimento ex cultûs disparitate.

1987. De hoc impedimento egimus *tit. 9. à n. 1039.* Cultu disparēs sunt, qui non sunt ejusdem, sed diversa Religionis, & fidei; hæc disparitas cultûs inter baptizatum & non baptizatum, reperitur; est Ecclesiæ constitutione dirimens matrimonium inter eos contrahendum, aut contractum juxta n. 1059. & est impedimentum juris tantum Ecclesiastici ex n. 1060. non extendit se ad matrimonia fidelium cum hæreticis dirimenda per n. 1061. & seq. hæc tamen conjugia, ubi adest morale, seu prudens periculum perversionis; illicita sunt, per n. 1062. præsertim, si fiant cum pacto, ut omnes liberi sequantur parentis hæretici fidem, ex n. 1065. & seq. Et si autem unus conjugum infidelium conversus ad veram fidem, altero ab eo vel physicè, vel moraliter discedente, licitè, validèque contrahat matrimonium cum fidei, per hoc dissolvendo prius vinculum cum infidei; hoc tamen concessum non est, si conjuges fideles in infidelitatem lapsi sunt, & unus eorum facti penitens, ad fidem revertatur, altero in pertinacia persistente ex n. 1066.

§. X.

De impedimento ex vi, seu coactione.

1988. *Vis, seu coactio*, prout hic accipitur, est impedimentum dirimens matrimonium defectu consensûs per eam exclusi, prout de jure requiritur ad valorem matrimonij, de hoc egimus *tit. 1. à n. 389.* Vis alia est præcisâ, seu absoluta; alia conditionalis; vis, seu coactio solum conditionalis, non tollit voluntarium simpliciter; nec excusat à culpa contra legem naturalem; secus, vis absoluta ex dict. à n. 390.

1989. Vis præcisâ, seu absoluta dirimit matrimonium jure naturæ ex n. 391. & seq. coactio autem conditionata, seu metus alius est gravis, & cadens in constantem virum; alius tantum levis, ut exposuimus n. 393. & seq. Metus etiam gravis, & cadens in constantem virum, si proveniat à causa solum naturali, nec jure naturali, nec jure positivo invalidat sponsalia de futuro, vel de præsentibus ex n. 296. idem tenendum est de metu gravi, & cadente in constantem virum, *justè incussò à causa li-*

bera ex n. 397. & à fortiori, de metu levi etiam injustè incussò, & directè ad extorquendum consensum ex n. 298. & seq. licet oppositum aliqui sentiant à *num. cit. & seq.*

Metus autem gravis, *injustè, ac directè* incussus ad extorquendum consensum, irritum facit matrimonium non tantum jure positivo, sed probabilius etiam jure naturali à n. 407. Et hoc procedit, si metus ille incussus sit ab uno contrahentium, sive ab alio, si directè intendit extorquere consensum; sponsalia tamen de futuro ex tali metu, nec jure naturæ à n. 407. nec jure positivo irrita sunt, n. 426. sed tantum irritanda, ex n. 431.

Metus exhæredationis injustè incussus & directè ad extorquendum consensum à liberis, invalidat matrimonium utraque jure ex n. 486. hic metus *injustè* incussus liberis à parentibus, quoties ejus minæ, vel ipsa exhæredatio contingit propter matrimonium à liberis initum, contra voluntatem parentum, quam in tali casu licitè præterire poterant ex n. 487. probabilius est, *injustè* exhæredari filium ex hoc, quòd nupserit indigno, si prius non recusavit nuptias cum dote oblatas, nec luxuriosam simul vitam elegit ex n. 497. an, & quale impedimentum matrimonio præstat metus amittendæ dotis; item metus pœnæ, à Dominis, vel Magistratibus Laicis statuta? exposuimus à n. 433.

§. XI.

De impedimento ex Ordine Sacro.

De hoc impedimento à nobis actum est *tit. 6. à n. 938.* Notandum autem, quòd prima tonsura, vel quatuor minores ordines matrimonio contrahendo nullum præstant impedimentum per n. 938. contracto tamen matrimonio ejusmodi Clerici amittant beneficia prius obtentâ, cum exceptione in n. cit. Ordo facit sic ordinato præstat impedimentum dirimens matrimonium ab eo contrahendum, aut eo stante, sine dispensatione contractum ex n. 942. non autem si prius sit rite contractum ex n. 947. Ordo facit vim dirimendi matrimonium non habet ex se, & jure naturali, vel etiam positivo divino ex n. 941. obligatio servandi continentiam, quam habet Clericus ordinatus in sacris, non est de essentia status Clericalis, etiam in

in facris, ex *n. eod.* nec illi annexa est ex natura rei per *num. 942.* sed sola Ecclesiæ cõstitutione per *n. eund.* & probabiliter immediatè ex voto solenni castitatis, mediatè autem ex Ecclesiæ præcepto ex *n. 944.* saltem in casu, quo à Clerico non regulari tacitè votum castitatis in receptione sacri ordinis emissum est; si enim per malitiam ab eo omissum esset, adhuc teneretur sic ordinatus ad continentiam, sed immediatè vi præcepti, ex *n. 954.* & tali casu adhuc maneret inhabilis ad matrimonium jure contrahendum, ex *n. 956.* & seq. quando autem dicitur, quod alia sit causa Clerici, alia Monachi, quoad obligationem servandi continentiam, illa alienitas, seu differentia non sita est in eo, quod Clerici non regulares ad continentiam servandam non teneantur ex voto; sed solo Ecclesiæ præcepto; regulares autem ex voto: sed in hoc, quod, licet ambo teneantur ex voto, tamen Clerici non regulares id non habeant ex vi *status Clericalis in sacris*; secus Regulares, vi *status sui regularis*, eò quod illa obligatio pertinet ad essentiam status Religiosi; non autem status Clericalis, ex *n. 942.* & 946.

§. XII.

De impedimento Ligaminis.

De hoc egimus *tit. 4. à n. 729.* per *ligamen* hic intelligitur matrimonium actum consistens inter duos; & est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, aut eo stante contractum ab uno conjugum cum alio, seu alieno, juris divini positivi, non naturalis ex dicto *à num. 738.* & procedit, licet primum matrimonium sit tantum ratum; secundum autem etiam consummatum; imò & juratum ex dicto *à n. 733.* primum autem matrimonium ratum tantum nullà potestate humana nisi summi Pontificis solvi posse, sic, ut conjugibus illis transire liceat ad alia vota probabilissima sententia tenet, ut retulimus *à n. 1611.* alijs tamen hoc negantibus *à n. 1621.* solvitur tamen secutà professione religiosa per *n. 1609.* post legem Evangelicam, etiam infidelibus polygamia, seu uxorum simultanea pluralitas illicita est ex *n. 749.* & horum matrimonia consummata, imò etiam rata tantum, nullà potestate humanà dissolvi possunt ex *n. eod.* & seq. possunt tamen in casu,

quo infidelis ad fidem conversus est, altero in perfidia remanente, ac converso pacificè convivere recusante, juxta *n. 742.* Tunc tamen prius matrimonium in infidelitate contractum ex unius conversione non solvitur *ipso facto*, sed contracto matrimonio cum fidei *n. 755.* & seq. quæ notitia de obitu prioris conjugis requiratur, ut alter conjugum licitè transeat ad secunda vota; dictum est *à n. 2830.*

§. XIII.

De impedimento publicæ honestatis seu justitiæ.

Impedimentum publicæ honestatis est *1994.* propinquitas personarum, proveniens ex sponsalibus, dirimens matrimonium contrahendum, aut eà stante contractum à quolibet sponforum cum consanguineis alterius; ut exposuimus *tit. 1. à n. 191.* ubi, Cur hæc propinquitas, Ecclesiæ cõstitutione, dictum effectum producens, vocetur publicæ honestatis, vel justitiæ; expõsitum est. Est impedimentum juris tantum Ecclesiastici per *n. 392.* & quidem perpetuum ex *n. 195.* non datur nisi inter sponsum, & consanguineos sponsæ; ac inter hanc & consanguineos sponi ex *n. 194.* nõ autem inter eorum affines, aut consanguineos ad invicem, per *n. eund.* & seq. Nascitur ex sponsalibus tam de futuro, quam præsentis, iisque puris, certis, nec factis in præjudicium priorum sponsalium ex *n. 196.* & quidem juxta jus antiquum etiam ex invalidis præterquam ex defectu consensûs ex *n. 202.* hodie autem, & jure novo solum ex validis per *num. 208.* & seq. Olim extendebat se usque ad quartum gradum, per *n. 223.* & quoad hoc nihil mutatum est à Tridentino, quando nascitur ex sponsalibus de præsentis ex *n. 223.* si autem provenit ex sponsalibus de futuro, hodie non excedit primum gradum ex *n. 223.* an verò nascatur ex sponsalibus principio validis, sed postea sponforum consensu mutuo dissolutis? diximus *à num. 206.*

§. XIV.

De impedimento ex affinitate.

De affinitate specialiter actum *tit. 14. 1995.* *à n. 1211.* ubi etiam exposuimus, qualiter jure civili, qualiter canonico accipiatur. Jure civili non nascebatur ex copula fornicaria; secus de jure canonico, *à n. 1212.*